



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

Theodoriti Ad Ioannem episcopum Antiochiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

phiam docere. Non solum enim solitudinem, sed etiam plurimos ha-
bet rerum tumultus, qui possunt facere pigros etiam eos qui valde eis
gaudent. Nemo igitur perjuadeat tuae sanctitati, quod ego episco-
palem sedem cupiens, cobibendo oculos meos, tamquam orthodoxas
suscepit AEgyptiacas literas. Ut enim cum ipsa veritate dicam, sa-
pius eas perlegi, & subtiliter discussi, & hæretica illas amaritudi-
ne liberata esse inueni, & timui quamdam maculam eis imponere:
& certe in odio habens quam alius quidam, patrem illarum, tam-
quam auctorem tumultuum existentem orbis terrarum: & spero
nullas penas sustinere huic gratia in die iudicii, quoniam inten-
tionem iustus index exquirit. His vero quæ aduersus tuam sanctita-
tem iniuste & contra leges facta sunt, nec si ambas manus meas ali-
quis incidet, patiar consentire, diuina videlicet gratia me adiuuan-
te, & infirmitatem animæ supportante. Et hoc certum etiam exi-
gentibus per literas feci: direxi vero etiam tuae sanctitati, quæ re-
scripsimus ad ea quæ scripti nobis, ut cognoscas quod nullum nos
tempus propter diuinam virtutem mutauit: nec multipedes vel ver-
spelliones docuit, quorum hi quidem petras, illi folia per colorem
imitantur. Vniuersam fraternitatem, quæ tecum est, in Domino ego
& qui mecum sunt plurimum salutamus.

THEODORITI AD IOANNEM
episcopum Antiochiae.

QVONIAM sapienter gubernat Deus, & nostræ prouidens
concordiæ, & populorum procurans salutem, congregare nos
in unum præparauit, & consonantes sibi omnium ostendit voluntates. Communiter enim perlegentes AEgyptiacas literas, & ex-
aminantes earum subtiliter sensum, inuenimus consonantes dicta
nobis eas quæ inde directæ sunt, & palam contrarias duodecim ca-
pitulis, quibus usque ad præsens, ut alienis a pietate, repugnantes
permanimus. Nam illa quidem habebant, carnaliter carnem fa-
ctum esse Dei Verbum, & per subsistentiam unitatem, & conuen-
tum per unitatem naturalem, & Deum Verbum primogenitum
factum ex mortuis. Abdicabant vero & vocum diuisionem quæ de
Domino factæ sunt: & alia vero adhæc habebant apostolicis qui-
dem aliena, hæreticorum vero germina & raniorum. Quæ vero
nunc directæ sunt, euangelica generostate decorantur.